

1502 tem Pannoniæ rege , de legati ad Bajasetem missione diem ex die ducente , propterea quod pace cum illo a Senatu inita , nisi novæ sponsiones intercederent , stipendiis reipublicæ carendum ipsi erat : ne res tanta differretur , legati reipublicæ paci sunt , uti mille auri libræ , regi annis singulis ab Senatu bello Thracio dari solitæ , ad tercentum redigerentur , quoad Bajasetes viveret , tribus item pensionibus persolvendas .

Alexander cum vidisset Guidum Ubaldum Ursinæ gentis studiis regnum suum recuperavisse , orando , territando , magna pollicendo , ejus familiæ principibus in suas traductis partes , fœdus cum illis percussit . Simul ab Aloisio missis ad se auxiliis Cæsar , magnisque copiis undique comparatis , Guidum Ubaldum , quem quidem sine spe , sine opibus destitutum amici deseruerant , iterum regno expulit , cum tamen ille inunitissimum natura totius regni oppidum , misso ad id custodiendum Octaviano Fregosio adolescente sororis suæ filio , cum militibus , & omnium rerum pro tempore copia , communius factum obtineret .

1503 *Guidus-U-*
baldus ite-
rum Urbino
expellitur.

Borgiae per-
fidia & cru-
delitas.

Urbinatibus receptis ad Senogalliam oppugnandam Cæsar primis anni diebus recta profectus , ubi civibus sine mora se dedentibus oppido est potitus , Ursinæ gentis principes eos ipsos , cum quibus paulo ante fœdus percusserat , quique secum una venerant , omnes in vincula conjectit : eaque de re Alexandrum patrem mira celeritate certiorem fecit . Ille statim Baptistam Ursinum Cardinalem , qui fœderis auctor fuerat , magna apud suos auctoritate , nihil ejusmodi verentem , ad se vocatum custodiae tradidit : qua in custodia paucis post diebus est mortuus . Conjectis ab Cæsare in vincula partim nocte proxima , reliquis in Senensium fines adductis , quo Cæsar cum exercitu contenderat , laqueo gula fracta . Idem vitæ finis Venantio & Octaviano adolescentulis , Camertium regis liberis captis a Cæsare , Pisauri datus . Pater eorum regno amissō clam elapsus , paulo post ad urbem venit . Ob eas Cæsaris actiones , qui cum Camertibus Ariminum etiam in suam ditionem redigerat , Senatus , uti suos fines magis communiret , Livia-